

P. l. r. 862,

P. lat. rec.

862

ITAPHIA

IA, VARIO CARMINE
ENERE DE OBITU CLA-
ri D. Gasparis à Nydbruck, I. V. Do-
nctiss: Rom: Regiæ Maiestatis, nec non

Sereniss: Bohemorum Regiæ dignitatis Con-
siliarij fidelissimi, 26. Septemb: Anno
1557. Bruxellæ feliciter
defuncti.

Conscripta à Gaspare Stoltz Vorchemio,
defuncti domini Doctoris olim scribæ.

VIENNÆ AVSTRIÆ EX-
cudebat Raphaël Hofhalter.
M. D. LVIII.

Mellinger

ERITAPHIA

ALIA V. NIO. GARM.

MIR GELERE DE OTTY GEA

... ..

... ..

... ..



VIENNA AUSTRIA EA

... ..

M. D. LVIII

ILLVSTRISSIMO SERE-
NISSIMOQVE PRINCIPI
ET DOMINO D. MAXIMILIANO
Regi Bohoemiæ, Archiduci Austriæ, &c.
Duci Burgundiæ etc. Marchioni Mo-
rauiæ & Comiti Tyrolis, Do-
mino suo clementissi-
mo. S.

Optimus est longos mos observatus in annos
Et signum mentis dexterioris habet:
Scilicet vt luci quiddam mandare volentes,
Nomen & scriptis conciliare libris:
Exquirant aliquem, cui carmina ducta patrono,
Officij inscribant pro ratione sui.
Sed mihi materiam cum tristia fata ministrant,
Et mea lugubri carmine Musa fluat:
Dū gemit à Nydbruck ducentē sanguine nomen,
Quem (dolor) ante diem parca maligna tulit.
Qui benè pierijs aspersus corpus in vndis,
Ore verecundo verba diserta dabat:
Quemq; animū iuris studio librisq; dicantem,
Non mirata parum Gallica terra fuit.
Inde tuam veniens Rex inuictissime in aulam,
Exemplar fidei præbuit ille bonæ.

A ij

Sedulita

*Sedulitate pia commissa negotia gessit,
Vtilis & vita consilijsq; fuit.*

*Munera nil fecit, nec quas suspectat auarus
Expetijt, mentis liberioris, opes.*

*Sed quid multiplici verborum pondere mortem
Sublati Domini Rex generose, fleo?*

*Quam scio te grauius, commota mente, tulisse
Et luctus causam saepe dedisse noui.*

*Ergo celebrantem defuncti fata, Thalam,
Clementi vultu Maxmilianæ feras,
Et tibi sit studij rudioris grata voluntas,
Qua cecini tanti funera dura viri.*

*Amplexusq; animo, tenuis conamina Musa,
Austriadum Rector Maxmilianæ fove.*

*Sic mea sedata consistet nauis in vnda,
Sic fuerit voti summa peracta mei.*

*Interea summus qui concutit omnia Rector,
Adjiciat sceptris prospera vela tuis:*

*Longaq; concedat ducendæ tempora vitæ,
Et sobolem foveat Coniugiumq; Vale.*

*Sereniss. Regiæ Vestrae dignitati
Addictissimus.*

*Gaspar Stoltz
Vorchemius.*

REVE.

REVERENDISSIMIS NO-
BILISSIMIS PRÆSTANTIS-
misq̄ viris, D. Ioanni Sebastiano Phausero con-
cionatori, D. Adamo à Schmecceuitz etc. Cubi-
culario, D. Nicolao à Warnerstorf Consiliario in-
timo, D. Petro Hallero solutionum Magistro, &
D. Gaspari Lindeggero Secretario, Serenissi-
mi Bohæmorū Regis etc. Diui Maxi-
miliani Consiliarijs, Dominis &
Patronis suis vnice co-
lendis. S.

Litera magnorum manibus voluenda virorū,
Quæ volo seruitijs transige cepta tuis.
Illustresq̄ ambi tremulo conamine mentes,
Quæ poterunt studijs consuluisse nouis.
Nam cum de subito cantarim Epicædia fato,
Quo cecidit Dominus morte premente meus.
Hæcq̄ mea Austriadū Reçtori scripta dicarim,
Qui decus inuictum Maxmilianus habet:
Non est qui faciles possit laudare Camænas,
Et me magnanimo conciliare Duci:
Sicq̄ labor ceptus nihili consumitur ausu,
Et cadit in dubijs anxia puppis aquis.

A iij

Ergo

Ergo quod hesternæ iniunxi tibi luce, probat
Accedas fidei indicijq̄ viros :
Hæc meo narres illis sermone loquelas,
Sic erit officij functio facta tui.
Æterni saluæ præco fidiſſime verbi,
Phauser honoratos inter habende viros :
Carmina facq̄ rudi quæ luſit arundine Muſa
Culta Bohæmorum qui regit arua, legat.
Tu quoq̄ Schmeccuitiæ celebrat quæ gentis ori-
Et tanti Regis ſedula cura manet. (go,
Te primos Rex inter habet ſecretaq̄ pandit,
Et tradit fidei ſeq̄ ſuoſq̄ tuæ.
Ergo precaturas animo dignare querelas,
Et miſeri curas uſq̄ clientis age.
Et tu Pegafidum decus & tutela ſororum,
In cuius reſidet plurimus ore lepor :
Hæc Warnerſtorſi Regi mea trade Bohæmo
Carmina, clementer, te tribuente, leget.
Tu quoq̄ theſauros Regis qui promiſit & abdiſ
Soluendiq̄ geris munus honorificum :
Huc Hallere tuas vires, & dirige mentem
Ut legat hoc paruum Maxmilianus opus :
Complexumq̄ ſuo teneat me ſemper amore,
Et foueat Venæ prima fluenta meæ.
Tandem qui tractas ſecreta negotia, Gaſpar
Lindeggere animi ſuſcipe vota mei :

*Sic mea sedato decurrent carbasa ponto,
Sic fuerit studij meta peracta mei.
Hæc ubi dicta viris dederis, quos nostra patro-
Musa parū numeris officiosa rogat: (nos
Illico Nestoreos iubeas saluere per annos,
Quiq̄ dat hæc vatis commemorasse sui.*

*Vestrarum Dominationum
Studiosissimus.*

*Gaspar Stoltz
Vorchemius.*

A iiij EPI-

EPITAPHIA VARIA, VA-
RIO CARMINIS GENERE DE
obitu clarissimi Viri D: Gasparis à Nydbruck,
I.V. Doctoris inuictiss: Rom: Regiæ Maiesta-
tis, nec non Serenissimæ Bohæmorum Regiæ
dignitatis Consiliarij fidelissimi 26.

Septemb: Anno 1557. Bru-
xellæ feliciter de-
functi.

APOLLO AD MVSAS.

Tristia luctifoni mecū date Carmina plan-
o mihi fraterna pectora iuncta fide. (Etus,
Aurea discedant gracili redimicula collo,
Quæq; tegit tennes pulcra corona comas.
Non hæc in luctu facies, aut pompa ferenda est,
Conueniunt lætis talia signa Dijs.
Sed magis innexæ tristanti colla cupresso,
Tundite plangibili membra tenella manu.
Et nihil Aonijs veniat nisi luctus ab antris,
Heuq; sones trepidis turba nouena modis.
Namq; meis fuerat validus qui miles in armis,
Heu dolor, heu lacrymæ fata suprema tulit.

Ille

Ille animum rectè primis formatus ab annis,
Intulerat Clario multa trophæa choro:
Denictogq; animi sensu rudiore, terebat
Optima Pegasidum quas aqua fundit, opes.
Hinc rerû Dominis gratus summisq; Monarchis,
Magnus erat, magna conspicuusq; fide.
Non alter studio fouit maiore Camænas,
Nec tulit Aonio munera plura gregi.
Defendit viduas, pupillos iuuat, egentes
Nurriuit, donis exhilarando datis.
Missus & est alias legatus sæpe per oras,
A Duce qui rerum sceptrâ suprema gerit:
Expeditq; celer commissa negotia Regis,
Atq; sua vigilans in statione fuit.
Sed quid opus longa verborum ambage? tenetis
Quis candor fuerit dexteritasq; viro.
Tristatis igitur ferientes pectora palmis,
Triste melos nato concinitote meo.
Incipe Melpomene, reliquæ cantando sequentur
Quodq; facis, facient dira q; fata gement.

MELPOMENE.

Qui mihi riuos dederint aquarum,
Vt queam iusto doluisse fletu,
Gaspari à Nydbruck subito perempti

Fata necemq;.

A V

Turtur

Turtur ut deflet socium, perosus
Arbores rami viridis, fugit q̄
Quæ suis non est pedibus lutoſa

Reddita Lympham :

Sic (dolor) charæ sobolis gemendo
Fata, nil dulcis Cytharæ mouemur
Lusibus, nec quæ reficit grauas

Musica mentes.

Triste nil præter sonat, & subinde
Verberat mentem stupidam, facit q̄
Fera commotis iterare verbis

Carmina planctus.

Nam suo quantum superat vigore
Astra, Latonæ gremio profectus,
Luminis replens specie decori

Astra solum q̄

Eminet tantum reliquos hic inter,
Qui fouent nostros studijs labores,
Quaq̄ concedunt pietas fauor q̄

Parte tuentur.

Sed quod his maius pretiosiusq̄ est,
Se Deo & ceptos tribuens labores,
Organum Christi i fuit, & salutis

Regula certæ.

Non modo sacri monumenta sensus,
Pectoris voluit grauitate, post q̄

Multa terrestris nocumenta vitæ,
Pectore fixit

Sed fuit magnis monitor patronis,
Ut vagis mundi vicijis piatis,
Quod Deus sacra nece roborasset

Limen adirent.

Hinc ijs gratus sacra quos sonare
Verba supremi decuit parentis,
Et py curam vigilem tenere

Semper ouilis :

Suasibus tantum potuisset vsus
Optimis, nudo monitu valere
Quæ sacra verbis super extiterunt

Religione :

Vix queant quantum reliqui dedisse,
Collocent totas licet hoc in horas,
Tam fuit magnæ grauitatis, atq̃

Gratus vtrifq̃.

Spes simul nostras facis interire,
Dum cadis tristi moriens premente
Imperatricis iaculo feræq̃

Atropos ictu.

Sed tibi iam nunc quoniam precari
Plura concordēs prohibent sorores,
In Deo felix animus solutus

Corde quiescat.

THA.

THALIA.

Eheu plangibili digna dolore lux,
 Tantum læna scelus quod tibi vendices,
 Et tristis videas interitus malum,
 Quo non sol aliud vidit acerbius,
 At q̄ hoc nubifico lumine comprobat,
 Nec gratis reficit prata vigoribus :
 Sed tristantis habet pectoris indicem,
 Dum multo facies imbre rigata stat,
 Et nati tremulo corde gemit necem,
 Alter quo fuerat vix sibi gratior
 Dotes ingenij propter amabiles.
 Sed post hunc etiam flet q̄ dolet q̄ Rex,
 Quem Regni penes est cura Quiritium :
 Sceptri nam varios ad Proceres legans
 Mandati dederat iussa sui exequi,
 Hic nunquam lubricis captus honoribus,
 Constantis posuit pectoris indolem,
 Ut contra fidei munera viueret,
 Aut sanctis faceret noxia moribus.
 At maiora negat sors quia reddere,
 In Cœlo placide Spiritus accubet.

EUTERPE.

Quis longo prohibens tempore perfrui,
 Te læna rapuit senior alite, in

Prime

Primæ flore iuuentæ:

Qui dignus Pyllos dies

Doctor viuere eras, longaq̄ prolibus

Gaspar multiplicans optime secula,

Mensam multiplicando,

Notum reddere sanguinem.

Sed fati prohibet sæua licentia,

Et vitam refecat fila trahentia,

Quæ ducenda fuissent,

Te porro prohibens frui.

Nec nobis peperit mors tua tristia

Tantum signa doloris, sed & inclytos

Heroes gemebundos

Reddit, quæ tua plurimum

Dum viuens fuerat, vita leuaminis

Compos consilij & iudicij, dedit,

Suadens optima quæq̄,

Promens scrinia pectoris.

Testatur satis hoc sceptrâ Bohæmica

Qui Rex imperio concutit arduo,

Ingens Austria nomen

Cui tellus bona contulit:

Oris qui modulo sæpius optimi

Ductus, Consilium pectoris intimis

Hausit ritè medullis,

Oraculum reputans Dei.

At hæc

*Ast hæc interitus linea non habet
Qui flectat precibus seu precio, sed est
Cum mors cogit, eundum
In Parcæ imperium malæ.*

CALLIOPE.

*Cur cadis in recenti
Optimæ vitæ spatio, cur Phlegetontis undas
Aspicias, & trementes
Pierij fontis socias Gaspar amice linquis :
Funera quæ dolentes.
Maximo mentis gemitu, Sape diuq; totis
Pectoribus frementes,
Triste conceptant animo te pereunte damnum,
Sed dolet ante quosuis
Te disertis grex studij, quæ penes est disertæ
Copia summa linguæ.
Namq; non illis pereunt gaudia tanta solum,
Sed studiorum honestis
Coetibus, quos tu poteras, si modo fila vitæ
Non Lachesis secasset,
Optimo ditando librorum satiare fructu :
Nam tibi tanta Doctores
Artium septem superest tempus in omne cura,
Quod Coemendo libros
Qui bonas artes bene feliciter atq; tradunt,*
Biblio-

*Bibliothecam adauges,
Astuans Musis rudibus consuluisse recte.
At licet in sepulchro
Membra vir prægrandis habes condita, nõ se-
Pars melior, sed Astra (pulta est
Incolit, nomenq̃ tuum posteritas celebrat.*

ERATO.

*Beatus ille qui cadit feliciter
Fatis coactus tristibus.
Nam lætus ad suprema fertur gaudia,
Ex his caducis Coetibus.
Et cantat inter angelos carmen Deo,
Mundi regenti Machinam,
At inter hos Doctor licet ponendus es,
Post tristis exiis diem.
Namq̃ antequam vita est soluta corpore,
Serniuit inclyto Duci,
Qui nunc Bohæmorum regit feliciter
Cum laude amabiles focos:
Feris tamen nobis, dolore corpora,
Dulci carens spiramine.
Eheu dies cadis quod ante debitos,
Vitæ in vigore maximo.
Linguas calebas qui tot imo pectore,
Quod vix alij de millibus.*

Hispana

*Hispana lingua te dolet, quam dicere
Ut ciuis alter noueras.
Prædonis at mouetur hoc non impetus
Turbantis omne gaudium.
Sed vix trahi quod ante ceperat tibi,
Filum manu truci secat.
Cum corporis tamen sepulta haud vinculis
Est mens, sed incolit polum.*

P O L I H Y M N I A.

*Ornatus haud vt ante corpus afficit
Post fera fata viri, mihi placebat qui bene,
Fuit nec alter quo decorus amplius
Munere iudicij, nec artibus pollitior,
Linguae bonis, honesta quæq; contulit
Et decus omne sibi, laudis cupido tanta erat.
Satis probat quod lingua Gallici soni,
Quam bene perdidicit, fariq; nouit optime.
Hoc ipse laudis audiens ei dari,
Sæpius obstupui, meo reuoluens pectore
Ote beatum Doctor, & felicibus
Alitibus genitum, nullo die debes mori,
Sed ætheris vigere dum polus facem
Conspiciet, fueris coruscus omni nomine.
Et triste corpus enecet telo licet
Omnia mors subigens, famæ nocebit haud tuæ:
Nomen*

Nomen tuum sed inter omnes nobile,
Presserit Horribilis mortis seuera spicula.
Ergo tuum licet sagitta fixerit
Corpus & ora necis, semper manebit gloria.

TERPSICHORE.

Mutet terra vices, flores priueniur odore
Lætitiâq; negent.
Plurimus & viridi discedat ab arbore ramus,
Tristia signa ferens.
Induat & vultum mutato lumine Phoebus,
Astrâq; mota tremant.
Flumina concrecant, glacies tegat arua, soliâq;
Gaudia prætereant.
Non stabili siquidem pede fata manere videmus,
Sed variata rapi.
Hunc etenim qui dignus erat in secula vita
Clotho maligna rapit,
Atq; huic qui fuerat telluris inutile pondus,
Stamina longa trahit.
Sic fera mutatis vicibus procedere fata,
Constituisse licet.
Nec tamen æternum viuet cum paupere diues,
Mors manet vna duos.
Nil sat munitum fato, sed tendimus illuc
Conditione pari.

En moritur David, Solymæ qui rexit habenas,
Saulus & ipse cadit:
Hunc detestatus Deus est, dilexit & illum,
Mors sed utrumq; tulit.
Instar & est, bullæ, mortalis vita caduca,
Quam citò sicut aqua:
Sic nos, firmatis hodiè qui vivimus ansis,
Cras vocat atra dies.
Sed tamè humanū est lacrymas nutrire, recensq;
Vulnus habere decet:
Dum cadit Aonij spes, portus & anchora fontis,
Fataq; dura subit.
Qui tantis fuerat virtutum dotibus auctus,
Ingenijq; bonis:
Nestoreos dignè potuisset ut ire per annos,
Secula terna trahens:
Sed quia sic placuit Regi, qui Sydera torquet,
Non reuocanda dies.
Interea tamen vnitis lugere querelis,
Funera tanta licet.
Hunc gemit ergo omnis firmata sub æthere stella,
Fuscatur & ora dolor.
Insuper & trito quem fecit Pegasus vngue,
Fontis alumna gemit.
Post linguæ variæ, quarum sibi nota loquda,
Iudiciumq; fuit.

*Inprimis Latij, Regi sacra Latino
Itala lingua gemit.*

*Hanc quia tam poterat promptis effingere verbis
Iudicioꝝ graui :*

*Ac si Germano non esset sanguine natus,
Sed satus Italia.*

*Non tamen ingenij tot tantaꝝ dona rapacem
Præualuere necem.*

*Sed quæ quosꝝ manet vitæ iactura, cruentum
Hic simul omen habet.*

*At licet in fragiles telo grassata sit artus,
Grandius ausa nefas.*

*Non animæ potuit spiracula resolvere sanctæ,
Astra sed ipsa colit.*

VRANIE

*Mortem quæ faciant beatiorum,
Condas pectoris intimi medullis.
In viuis Dominum Deum vereri,
Et fratri benè velle proximoꝝ,
Non foenus capere, aut iniqua mercis,
Palmis munera noxijs referre :
Sed causam viduæ fouere, iusꝝ
Verbis pro misero sonare iustum,
Nec præcepta Dei venire contra,
Illis sed studio obsequi fauente.*

Talis cum fuerit, gemendo quem nos
Musæ plangimus & dolemus omnes,
Illum quis dubitet Cœlo potiri,
Cum sanctisq; Dei videre vultum.
Ergo nil opus est diu moueri,
Et tristes oculos rigare fletu,
Illi sed placidæ quietis omen
Musæ pectoribus precemur imis.
Sic mortem gemimus satis, dolentes
Ereptum iaculo ministrum acerbo.

CLIO.

Planxerunt aliæ sat tristia fata sorores,
Quas mihi mutua flamma parentis
Æterno, iunxit, qui non soluaturs amore,
Machina dum mundi ruitura
Fulcra nihil terræ metuet, nec triste barathrum,
Nos cœlum qui poscit & Astra.
Ergo quod inceptum restat peragrarè laborem,
Exequijs suprema dicabo:
Addere nil siquidem possum laudando ministrum,
Nam quæcunq; canenda fuerunt,
Hæc satis ingenuo cecinerunt ore sorores,
Luctus maxima signa ferentes:
Hoc addam: quicquid fuerat, quantumq; disertum
Gutturis & promptum fuit oris:

Defendit

*Defendit viduas, iusti studiosus & æqui,
Et vitam sine felle peregit.*

*Nos igitur luctus rellinquere signa volentes,
Ponimus hæc monumenta decusq̃.*

*In Christo, felix viuas valeasq̃ minister,
Qui fuerat tua summa voluptas.*

*Quem velut intrepido confessus corde fuisti,
Cum nondum te fata vocassent :*

*Accinis in coelo sic illi carmina laudis,
Electos inter numeratus.*

AMEN.

EPITAPHIVM EIVSDEM

D. DOCTORIS A NYDBRVCK,

sed breuius ita vt monumento

in sculpi possit.

Hic ego quem multo didarunt iura favore
Casparus à Nydbruck morte necante cubo.

Magnus eram, vita sinerent dum fata potiri,
Et Ducibus gratus Magnanimisq̃ viris.

Testis erit, Latij qui Ferdinandus habenas

Et Rex Hungariæ Sceptra superba gerit :

B ij Testis

Testis & hoc etiam natus genitore, Bohemas
Qui fouet imperio Maxmilianus opes.
His ego consilijs subueni sepe modestis.
Et suasi sceptris non aliena suis.
Librorum tenuit veterum me summa voluptas
Pro quibus interdum munera larga dedi:
Æternumq; colens animi candore parentem,
Mens mea coelicolis vsq; dicata fuit.
Sed tu qui transis, sortis memor esto futurae,
Te quoq; defunctum tristia fata manent.

Hoc Disticho numerus anni obi-
tus continetur.

Vt fVrlt, Vt sæVas MaVors graffatVr
aD Vrbes
Tristls trlslsono, fVnere VIta fVglr.

RIXÆ CHARITVM ET
PARCARVM OB IMMATV-
ram D: Doctoris à Nydbruck &c.
felicis memoriæ mortem.

AGLAIA.

Cur sacra pierij turbando gaudia fontis,
Clotho maligna tristibus fila secas manibus?
Cur te tanta mouet crudeli corde voluptas,
Imoq; feruor pectore? cur rapis ante diem
Quem tua dignari Pijlios debebat in annos
Vita, rapax manus virū? cur ruis in liquidos
Imperio, fontis riuos, quos Pegasus vngue
Fundens, dedit facundiæ progenerare decus.
Quin potius, Musæ quoniã tua spicula vitant,
Nostros simul das seruuos vincere posse necē.
Sed nimis atroci pectus suffusa veneno,
Quidquid nocere quit, facis; Nec mouet vllus
Te generis mortalis, at hæc in retia velox (amor
Probos trahis cū non probis, cū venit atra dies
Sed licet iniusta corpus ratione necaris,
Famæ nocere nonpotes, sed fugit illa rogos.
Nec tua quæ doctum læserunt spicula corpus
Læsere laudis nomina, sed sine fine manent.

CLOTHO.

*Iurgia quid cumulas furūsq; agitata nugaris,
 Et mihi crudeli obtrudis mea facta latratu?
 Quod feci, factum benè, nec me poenitet acti,
 Ardua sic soliti voluerunt pensa laboris.
 Nec tamen omnino penes hæc me causa pependit,
 Et quasi nulla meam notat hac vice, noxia mentē.
 Non ego vel traxi vel rupi fila trahentis,
 Sola colum gestans, sum cepta secuta sororum,
 Altera deduxit, dirupit tertia filum.
 Dignus erat fateor, cui stamina ducta fuissent
 Plurima, sic mentis meruit dexterrima virtus,
 Quæq; alios vicit studiū gravitasq; fidesq;
 Sed vocat atra dies quosuis, nec soluere nobis,
 Aut firmare licet vitam mutantia fila,
 Sed iubet Æterni quod gratia cunq; parentis,
 Hoc indefessis operis fecisse necesse est,
 Nos famulæ fati siquidem Diuūmq; ministræ,
 Haud hominum nostro vitæ trutinantur ab ausu,
 Stamina sed tristi fato mandante secamus.*

THALIA.

*O detestandum facinus semperq; dolendum,
 O atra dies horridi.
 Fati, quo cecidit mentis pars altera nostræ,
 Vir gloriosi nominis:*

Synce-

*Synceris animi vixit quia clarus in armis,
Mentem dolosam negligens.
Et veluti nudis incedimus ordine membris,
Aperta tractantes bona.
Sic quoque nudus erat mentis candore, suumque
Os fel amarum respuit.
O digna aeternis tenebris fera bestia, tantum
Quod morte nomen afficis.
Caucaseo Lachesis mihi nata videris in antro,
Charybde atrocior magis.
Non pudet innocuo digitos foedare cruore,
Tanti pudet nec flagicium?
Fila utinam maiora tibi deducta fuissent,
Non angerer sic pectore.
Sed licet in partes seviris Parca caducas,
Corpus et umbris iunxeris:
Non tamen in mentem valuerunt spicula tenellam,
Arcus sed elusit tuos.
Et nunc Angelicis cantat sociata cateruis,
Deo melos, qui condidit.*

LACHESIS.

*Quid mihi faceris, ore
Turba blarans iurgia?
Non ego quod arguis me,
Sum doloris fons tibi,
Non ego tuum iaculo*

*Filium percutiens,
Ad nigri lacum fluminis,
Marte detrusi meo,
Fila namq̄ cum traherem,
Tristis aduenit soror
Atropos, filum manibus,
Tristibus rupit citò.
At licet secata sient,
Fila per nos filij,
Quid moues tristibus sonis,
Ad lares fletus meos?
Quin tuas magis peragis,
Ante penates preces,
Et Deum poscis querulo
Ore, vt reddat filium?*

E V P H R O S I N E .

*En iterum tristes agitans in pectore questus
Dolore corpus vexor arduo satis,
Dum mea spes cecidit, vitæq̄ suprema voluptas,
Terrena liquit, morte rapta, gaudia.
O dolor, infausto quia Sydere nata fuisti
Dies, alumnus qua cadit pulcerrimus.
Cur tua non Atropos feritas horrenda pepercit
Vitæ, mei nati peroptatissimi?
Cur non defraudas vita quod inutile terræ
Pondus, meumq̄ filium saluum sinis?*

Ordine

Ordine sed semper tibi voluitur vna sinistro
Viam venens, modum aut in hoc non debitum,
Hoc nisi letali corpus perisset ab ictu,
Manusq; tincta si tibi non sanguine,
Hoc immaturo nimium castoq; fuisset,
Sertum tuas nouum comas circumdaret:
Sed quia crudeles corpus necuere sagittæ,
Diris voueberis, quibus cum res tibi.

A T R O P O S.

Cur me maligno gutture pronocas,
Et multa fundis pectore iurgia,
Tuum velut detruferim nunc
Filiolum in fera iura mortis.
Non me penes stat quò minus aère,
Vescatur ultra filius inclytus,
Sed sic iubet Dei voluntas,
Quam superare homo nescit ausu.
Hand viuet ultra tempora debita,
Natus licet sit sanguine Regio,
Manet sed vna mortis via,
Cum misero locupletis umbram.
Non ergo verbis me grauioribus
Ultra laceffas, sum sine noxia
Necem quod attinet gemendam,
Gasparis egregij patroni.

FINIS.

DISCE MORI.

- Disce mori, nam fata manent tristissima quosuis,
Nec datur æternum viuere, disce mori.*
- Disce mori, nec praua tuo conuitia patri
Ingere, sed semper dilige, disce mori.*
- Disce mori, & cæco nunquam succumbe furori,
Eneruat vires cordaq; disce mori.*
- Disce mori, miseris operam præbendo benignam,
Quorum vota petunt Sydera, disce mori.*
- Disce mori, mortisq; tibi succurrat imago,
Vltima nam rerum est linea, disce mori.*
- Disce mori, talis vitæ sit terminus actæ,
Ut capias cæli præmia, disce mori.*

DISCE PATI.

- Disce pati, varios vinces tolerando dolores,
Et bene succedent omnia, disce pati.*
- Disce pati, multum pariet patientia laudis,
Largaq; donabit commoda, disce pati.*
- Disce pati, post cæca solet, sol, nubila vultum
Sydere felici prodere, disce pati.*
- Disce pati, sic digna tuum comitantia factum,
Excipies olim præmia, disce pati.*
- Disce pati, sine nullus honor, sudore paratur,
Hoc decus acquires nomine, disce pati.*
- Disce pati, non semper enim patiendo premeris,
Fausta ferēs, vincens pessima, disce pati.*

Carmen

CARMEN IN LAVDEM

SERENISSIMI BOHÆMO-
rum Regis etc. Diui Maximiliani &c.

secundum literas nominis con-
scriptum.

Maximus Austriacas regit, *(benas,*
Emilianus ha-
A quo ceu fluuio iusq; piūq; manant.
Xerxes magnus erat, sumtisq; insignis in armis,
I nferior tanto sed fuit ille Duce.
Magna quidē bello Xerxes tentauit, *(amplas*
I nfero adiutus milite fregit opes.
Longē illum superat pietatis imagine, iusto
I mperio qui nunc sceptrā Bohæma premit,
Astra tuens animo, nihil hæc humanā moratur,
N ec cupit immodicas quas sitit alter opes.
Vt queat æternæ lucrari præmia vitæ
S upplicibus palmis Numina trina rogat:
Recta iubet, dum recta facit pietatis amore,
E ijciens, animo quicquid obesse queat.
Xerxes dum vixit, Veneri Bacchoq; sacratus,
B landa voluptatis miles ad arma fuit.
Omnibus his positis, casto dat pectora lecto,
H orribile euitans Maxmilianus iter.

*E*st totus Christo Sacer æternoque parenti,
*M*entem cui vigilans & sine fraude, dicat,
*O*ter felicem terram, semperque beatam,
*R*ex veniet sceptris quæ moderanda tuis.
*V*t fuit Augusto felix sub Cæsare Regnum,
*M*axime sic Duce te patria sospes erit.

CANTIO ANGELICA IN
GRATIAM REVERENDISSI-
mi Viri D. Ioannis Sebastiani Phaulseri con-
cionatoris Regij, Elegiaco Car-
mine reddita.

*D*um sacra saluificæ celebrantur festa diei,
Qua satus est pura virgine Christus erat:
Angelicus fertur plaudens per nubila coetus
Et laudatrici iubila voce sonat:
Gloria sit rerum, nunquam moritura, parenti
Qui beat aduentu cuncta creata suo.
Nam nisi concepto Deus indulgisset amori,
Quo sibi deuinctum plasma parentis habet.
In styge submersum genus hoc mortale periret,
Æternaque carens prosperitate foret.

Sit laus ergo tibi, casta sate virgine IESV,
Et tua pax terræ viscera, sancta beet.
Concordes homines, unito pectore viuant
Curaq̄ sit partæ, sceptrā videre domus.
Dulcius Angelico quid posset ab ore referrī,
Quidue magis lapsum conciliare genus?
Sedibus hūc igitur patrijs dum Christe relictis
Virginis intactæ, claustra pudica, subis.
Nos tibi conceptas memoramus pectore grates,
Natalis memores officijq̄ tui.
Sed ne tot frustra tuleris subeundo dolores,
Flamine sanctifices pectora nostra sacro:
Virgineoq̄ velut conclusus ventre fuisti,
Sic Deus in nobis, sarcina grata, cubes.
Cumq̄ huius venient tristissima signa diei,
Qua cadet ætherea, terra cremata, pice:
In tua saluatos nos pertrahere regna, ferasq̄
Præmia, quæ mortis parta cruore tuæ.
Hoc faxit genitorq̄ tuus rerumq̄ creator,
Qui par cum sacro pneumate numen habet.

AMEN.

Faint, illegible text, likely bleed-through from the reverse side of the page. The text is arranged in approximately 15 horizontal lines.

ALL IN